e-codices

id est gloria facta eius. Narrantes quoque uirtutes. id est fortem manum. in qua eos eduxit de egypto. Et mirabilia eius que fecit. quod do
eos in deserto manna pluit. et hostes ferocissimos eis subtrauit. Et suscitauit testimonium in iacob. et legem posuit in israhel. More scripturis
usitato. idipsum repetit. Quod enim est suscitauit testimonium in iacob. idipsum est et legem posuit in israhel. Testimonium autem in iacob
usitatum illud dicitur. quando luctatus est cum angelo et claudus effectus. Hoc testimonium suscitatum est. quod et tunc historialiter factum est. Spiri
taliter in eius de infidelitate impletum est. Vel suscitatum dicit testimonium. secundum quod apostolus dicit. sine lege peccatum mortuum erat.
adueniente mandato peccatum reuixit. Hoc modo suscitatum dicit testimonium. quia per legem cognitio est peccati. Legem autem posuit in
israhel. quia ea quasi iugum peccatoribus imposuit. Lex enim non est iusto posita. sed iniustis et peccatoribus. Ergo testimonium. et lex
una res est. sed testimonium dicitur. quia probat. Lex uero quia precipit quid agendum sit. Quanta mandauit patribus nostris nota f. e.
f. s. u. c. g. a. Generatio altera populus est christianus. sub nouo testamento per scripturas sanctas de uirtutibus domini edoctus. Non enim
dicant iudei sibi solis datam esse legem et scripturas. ideo dicit ut cognoscat generatio altera. Vnde sequitur. Filii qui nascentur et exur
gent. progenies uidelicet noui populi. que reuera est filii abraham. Beneauit dicitur exurgent. Prior enim iudeorum generatio accepit. sed non
cognouit. quia non intellexit. Cognouit autem generatio altera. id est filii qui nati sunt et exsurrexerunt. hoc est sursum cor habuerunt. In priori enim
generatione nati quidem sunt. sed non surrexerunt. quia carnaliter legem acceperunt. Vt ponant in deo spem suam. et non obliuiscantur operum dei.
Hec est utilitas paterne instructionis. ut posteri eorum ponant in deo spem suam. ne suam uelint iusticiam constituere. sed reuelent
domino uiam suam et sperent in eo. et non obliuiscantur operum dei magnificando opera sua. et mandata eius exquirant. ut ea ipso adiuuan
te compleant. Ne fiant sicut patres eorum. hic aperte notatur perfidia iudeorum. Generatio praua. quia ueritatem recipere noluerunt.
Et exasperans. id est. quia semper dominum exasperabant et prouocabant. Generatio que non direxit cor suum. hoc est quod superius dixit generatio praua. Ille enim
cor dirigit. qui ad implenda precepta dei animum preparat. Et non est creditus cum deo spiritus eius. Hoc est enim creditum cum habere spiritum.
credere non posse se sine deo ueram exercere iusticiam. Qui uero se confidit sine dei adiutorio iusticiam posse implere. huius spiritus
non est creditus cum deo. Nam quando cum spiritu dei operatur spiritus hominis. tunc mandata dei possunt impleri. Hoc autem non fit nisi credendo in eum
qui iustificat impium. Filii effrem intendentes et mittentes. a. c. s. i. d. b. Effrem uel effraim. id est frugifer unus fuit ex filiis iacob
per quem totam gentis iudaice generationem debemus accipere. Intenderunt arcum et miserunt sagittas. quando loquente moyse dixerunt
omnia que precepit dominus noster faciemus. et obedientes erimus. Sed conuersi sunt in die belli. quia mutati sunt et conuersi sunt ad idolatriam dixerunt
enim aaron fac nobis deos. qui precedant nos. Quid est intendere arcum. et conuerti in die belli. nisi promittere in die preceptionis. et
deserere in die temptationis. et ueluti ante bellum armis proludere. et in hora certaminis nolle pugnare. Nam quid sit conuerti
in die belli. ostendit cum subdit. non custodierunt testamentum dei. et cetera. Aliter. Filii effrem. hereticorum est forma. arcus et sagitte
peruersa doctrina. quam intendunt contra sanctam ecclesiam. Possunt quoque per filios effrem qui frugifer interpretatur sacerdotes uel doctores mali
intelligi. qui arcum predicationis intendunt. sed retrorsum conuertuntur in die belli. quia dicunt et non faciunt. sed in die certaminis.
hoc est temptationis propriis uitiis succumbunt. Et obliti sunt benefactorum eius. et cetera. Generatio peruersa iudeorum. obliti sunt beneficia dei.
et mirabilium eius que ostendit eis. In signis et prodigiis eos liberans. et hostes eorum multipliciter puniens. Vnde et adhuc sequitur. Coram
patribus eorum fecit mirabilia in terra egipti. i. c. Coram patribus moyse et aaron ceterisque qui eos iuuabant ad ipsum populum regen
dum. Iste ergo egiptus qui interpretatur tenebre uel affligens siue comprimens. designat hunc mundum. in quo dominus coram principibus
eorum miracula operatus est. Thanis. ciuitas egypti. Thaneos. genitiuus casus est. In campo thanis ciuitatis. dominus per moysen signa
fecit. Interpretatur enim thanis. mandatum humile. humilem designans christi predicationem. qui dicit. discite a me quia mitis sum
et cetera. Nos quoque in his seculo suscipiamus humile mandatum christi. ut in futuro ab eo exaltemur. Interrupit mare et perduxit eos.
s. a. q. i. u. Hec historialiter impleta nouimus. allegorice mare gentium designat multitudinem. de quorum medio
eduxit populum suum. Aque maris. seuitia infidelium nationum. in eorum cordibus diuina uirtute in populo dei non coacte in
clusa. Vter enim pellis animalis mortui. mortalia hominum corda designat. Aliter. Aque. fluida carnalium
cupiditatum desideria exprimunt que deus sua gratia quasi in utre statuit. cum noxias concupiscentias in hominum
mentibus comprimens eos facit renuntiare seculo. ut deletis peccatis quasi mortuis egyptiis. per sacramentum bap
tismatis. uelut per mare. ad terram repromissionis perueniant. Et deduxit eos in nube diei. et tota nocte. i. i. i.
Per nubem secundum cassiodorum. incarnationem christi debemus accipere. Cum enim christus sit uerus dies. latabat tamen sub nube
diei assumpte carnis. Deduxit eos in nube diei. quia fideles suos per suam incarnationem saluauit. Illuminatio ignis

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 166 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/166)